

«CORPUS CHRISTIANORUM» *

Laetis auspiciis exoptatum *Corpus Christianorum* fasciculo, quem lectoribus enarraturi sumus, inchoatum nuntiare gaudemus. Igitur rei iam cedit spes vulgatissimae *Patrologiae* a Migne conditae nova eaque catholica Patrum et ecclesiasticorum scriptorum collectione sufficiendae, quae textus ad novissima artis criticae inventa exactos praebeat. Editorum autem curas atque labores tantummodo in textus critice restituendos conferri, primus ipse fasciculus luculenter testatur, in quo apparatus, si paucos fontes notatos excipias, totus in variis codicum editionumque lectionibus recensendis atque coniecturis proponendis vertitur. Commentarii vero, quibus tum Migne *Patrologia* tum editiones aliae abundant, omnino sunt omissi, quare superiores editiones adhuc utilitate non carent.

Liber, quem manu versamus, primus est fasciculus operum Tertulliani, in quo, post praefationem et bibliographiam «selectam», duo opuscula, scilicet *Ad Martyras* et *Ad Nationes*, alterum quidem E. Dekkers cura, alterum vero J. G. Ph. Borleffs, in novam lucem feliciter prodeunt. De singulis paucula quaedam, amore potius scientiae provehendae quam contentionis studio, adnotare liceat.

Praefatio praetereunda fere videtur, cum perfunctorie omnino (p. V-IX) subsidia litteraria recolantur quibus textus consti- tuendus inniti oporteat, quinque scilicet corpora seu operum collec- tiones ante typos inventos vulgata, codices *Apologetici*, et criteria interna, praesertim quae «tertullianitas» appellari consuevit. Dolendum fortassis tabulam omnium codicum deesse, cuius defectum nec tabula II nec «stemma codicum collectionis cluniacensis» (p. XXVII) explent, quod insuper stemma, licet Kroymanni auctoritati

* [E. DEKKERS, J. G. PH. BORLEFFS], *Quinti Septimi Florentis Tertulliani opera. Pars I: Opera catholica adversus Marcionem*, Turnholti, typogra- phi Brepols editores pontificii, MCMLIII (= *Corpus Christianorum. Series Latina I*, 1).

— Interea editio Tertulliani completa est aliaque opera *Corpus Christianorum* ditarunt; huius autem recensionis auctor fasciculum tantum ad *Ephemerides Carmeliticas* missum perpendit. (*Nota Directionis*)

deferentes, unde quaque certum haud fatemur; codicum ergo enarrationem ubiorem apud CSEL legere cogimur. Laudandae autem sunt tabulae complicatae cum « testimonia » de Tertulliano in antiquis (s. III-VII) litteris christianis (tab. I^{a-c}) tum codices atque editiones ad tractatus singulos exhibentes (tab. II).

« *Bibliographia selecta* » ea recenset quae vel auctorem (« generalia; biographica ») vel scripta ipsa spectant, sive quod tempora (« chronologica ») sive quoad textum, ad quem ordine attinent editiones integrae cum suis versionibus, partiales cum suis itidem versionibus, dein litteraria (« indices verborum; codices, critica textus, latinitas; textus biblicus; fontes; imitationes; clausulae metricae »); quaestiones textuales excipiunt doctrinales (« doctrina et argumenta ») generalia ad omnia opera et particularia ad singulos tractatus; duplex appendix *Apologeticum* spectat.

Nonnulla in rebus introductoryis minus placent, nempe latinitas et omissiones bibliographicae. Cum editor CSEL 69-70 tanti faciat, curnam rationem recte nominum priorum proferendi imitatus non est? Ita cum CSEL verba « Gorziensis, Magliabechanus, Napolitanus, Nouarensis » latine emendanda sunt « Gorciensis, Magliabechianus, Neapolitanus, Nouariensis ». Bibliographia autem « selecta » eo sensu accipi videtur, quod delectus quidam operum oblatus sit prout editoris adiuncta tulerunt, quin omissa ut deteriora negligerentur: alioquin haud intelligeretur cur, v.gr., nulla italica versio occurrat, cum et recentes sint et plane probandae, veluti *Apologetici* versio cura H. Tescari in notissima collectione *Corona Patrum Salesiana*, serie latina XIII, immo editiones criticae desint in ipso CSEL recensitae, v.gr. Sixti Colombo editio critica *Apologetici* in optimo *Corpo Paraviano* XLVI (CSEL 69 p. L).

De duabus editionibus, quas liber complectitur, diversimode, pro earum cuiusque indole iudicandum. Nec absonum putetur meminisse in hoc primum conspirasse *Corporis Christianorum* conditores, ut optimas quae extarent editiones simul componerent praetio et voluminum forma facile comparabiles, studiis fovendis hac via apte occurrendo; re autem vera novae editiones paratae sunt, ut has, quas enarramus, versanti perspicue patet. Libros enim *Ad Nationes* novis curis J. G. Ph. Borleffs adornavit, editionem suam a. 1929 Lugduni Batavorum in lucem emissam recudens; de hac altera nihil peculiare dicendum, praeter amplissimas de impigerrima opera in eam praestita laudes, cum et unicus codex parisiensis Agobardinus perfectis artis subsidiis accuratissime exscriptus sit, ipsis codicis lineis in editione servatis, ratione scribendi adamussim expressa atque, ubi necesse fuit, suppleta, quamvis pluries textus etiam critice contra codicem restitutus sit, coniecturis quoque in rem adhibitis, ita ut opti-

mus inter hucusque editos dicendus plane sit, quem ditissimus apparatus, evidens studii atque laboris testimonium, exornat.

Aliter vero de libello *Ad Martyras*, denuo nunc cura E. Dekkers vulgato, sentiendum. Plures enim praesto fuerunt codices (14 superstites recenset editor), omnes ad corpus cluniacense pertinentes, omnesque s. XV (cf. tabulam II n. 28); inter eos quinque selecti sunt quorum variae lectiones in apparatu referrentur, duorum quidem constanter, ceterorum vero frequenter; sex editiones accedunt, e quibus etiam codices praeter quinque commemoratos aliquoties adducuntur. Plura in hac editione carpenda videntur, quae paucis perstringere iuvat.

1) Textum restitutum optimum esse inter vulgatos ultro fatemur. Fontes ii solum notati sunt, qui citationem sapiunt; propterea p. 3, 7 allegare expediret p. 6, 10, quae allusionem ad evangelicum textum certam redderet.

2) Dolendum sane est non omnes codices adhibitos esse: neque enim selectos praetermissis praestare arbitramur, nec fidem editoris in duos selectiores omnino probamus, utique fatentis: «prae ceteris adhibuimus codices *N* et *X* quippe qui inter deteriores praestantiores sint» (p.2), cum mera apparatus inspectio contrarium evincat. Norunt profecto qui codicibus evolvendis operam impendunt, deterrium etiam qui putetur codicem multiplicem utilitatem praebere: insuper, quandonam codex deterior vel deterrimus dicendus est? Immo fidenter liceat asserere et *N* codicibus nostri *ABCD* meliorem non esse et *X* certo deteriorem: unde lectiones quoque ad textum statuendum ineptas ex iisdem allatas esse valde miramur.

3) Ceterorum codicum fatetur editor (p. 2): «paucas tantum lectiones adnotauimus secundam Oehler et Bindley». Revera huiusmodi testimonia nec adaequata nec pluries recta dicenda sunt. Imprimis lector monendus fuisset quibusnam codicibus usi sint Oehler et Bindley, ne has quoque editiones sibi comparare cogeretur; dein qua ratione ipsa testimonia allata sint, tam ab Oehler et Bindley ex codicibus utrum complete an solum passim, quam a Dekkers ex editoribus itidem: quae animadvertisse summi sane est momenti, cum, ut e nostro elucet apparatu, plures lectiones omnino notandae omissae sint. Nec apparatus undequaque perspicuus est: compendio «codd.» vel «cet.codd.» intelliguntur tantum codices a Dekkers adhibiti an etiam qui ab Oehler et Bindley? Quod probe distinguendum fuisset, cum codices illi quinque a Dekkers adamussim excussi putandi sint, secus ac ceteri.

4) Ex hucusque prolatis apparatum vitiis scatere planum est. Ex *N* et *X* etiam quae rectam scribendi rationem spectant studiose collecta videntur: cum autem hi codices ceteris pluris faciendi non

sint, supervacanea in hac editione sunt censenda, v.gr. p.3,17 « dyaboli » N, 6,36 « Rhomanorum » X, et X scriptio —st— loco —sc—, ceterum s. XV frequentissima, ita ut merito concludi debeat, eam specie esse st, re autem vera sc, v.gr. p. 3,22 « delitestat », p. 5,27 « stamma », loco « delitescat, scamma ». Consulto « in hac editione » posuimus, cum nihil sane supervacaneum dicendum sit in editione, quae omnes codices eorumque universa aequa expendat ad philologiam et textus historiam (recensiones, editiones) utilissima. Insuper: nonne melius florentini codices p. 4,4 et 5,18 sua nota instructi commemorati fuissent? Studium quoque labore legenti imponitur, ut quis sit ille *La Cerdà* p. 5,18 in serie editorum p. 2 haud conspicuus inquirat. Neque prudenter codices ex editoribus tantum allegari exemplo sit p. 3,21 « codd. Vaticani Pamelii »: etenim *Vat. lat.* 189 non solum « affectionibus » sed « de affectionibus » legit, quod multo proprius accedit ad textum « defectionibus ». Utilitatem ceteros etiam codices conferenti satis apparatum nostrum putamus efferre, ubi pluries textus ab editore constitutus adstruitur (quod varia lectione absente semper auditur), vel plenius apparatus Dekkers illustratur, ut, v.gr., p. 4,23, in qua nostri codices non tantum formam « frm » praebent, sed explicite etiam « fratrem »; vel p. 7,35 loco ineptae vocis « reformaueribus » rectius « reformauerimus » aut « reformaueris » legunt.

5) Leves oscitantias hic illic occurrentes facili negotio et lectores animadventent et editores in futuris editionibus emendabunt, v. gr.: apud Dekkers p. 5 in apparatu lineis postremis loco « 17 » et « 18 » legendum est « 27 » et « 28 »; p. 7 in apparatu l. 12 emendanda est in l. 11; vel apud Borleffs p. 11,9 in textu vox « uociferamini » littera inversa inchoatur.

6) Nihil tandem de orthographia esset notandum, nisi usus litterae *u* etiam pro consonante aliquid profiteri cogeret. Cum finis *Corpori Christianorum* praestitutus non sit mera textuum editio studiis philologicis provehendis, melius distinctio phonetica inter consonantem *v* et vocalem *u* etiam scripto servanda videtur. Alioquin etiam in ceteris scriptio historica alicuius aetatis statuenda et sancte retinenda esset. Ita, v. gr., quoad assimilationes definiendum esset, utrum semper et ubique sint scribendae, sive perfectae (« adlatus/allatus ») sive partiales, missis iis quae particulas separandas co-niungendasve spectant. Utcumque, certum est rationem scribendi apud Dekkers et Borleffs satis differre, cum Borleffs codici Agobardino inhaereat (p. 11,8 « adolescentem »/p. 36,4 « adulescentem »; 36, 15 « inpellit »; 36, 20 « delitiscientum », etc.).

Igitur haud supervacaneum putavimus varias lectiones e quatuor codicibus vaticanicis hoc proferre in exemplum editionis Dekkers supplenda, his quae sequuntur principiis. Codices sua quisque nota distincti sunt, nempe: *Vat. lat.* 189 = A. *Vat. lat.* 190 = B. *Vat. lat.*

191 = *C. Urb. lat.* 64 = *D*; quibus signa superius suffixa exprimunt: * scriptio[n]em primam, ¹ emendationem eadem manu, ^c emendationem manu cui pressius determinandae haud studuimus. Compendia haec sunt: *corr* correxit, *inv* (ordinem) invertit, *om* omisit, *praec* p[re]ce-dit, *praem* p[re]emisit. Non omnia quae potuissent afferri adnotata sunt: sententiarum distinctio fere semper praetermissa est; item varia scriptio, praeterquam aliquoties propter apparatum Dekkers vel exempli causa. Singulae voces textus, quibus varia lectio est ap-posita, punto separantur, unius vocis autem variae lectiones com-mate, post codicis vero notam intra parentheses levior variatio lec-tionis codice confirmata.

Ante apparatus ipsum libet paginas et lineas editionis summa-tim recensere, ad quas novae omnino nostrorum codicum lectiones referuntur, quo facilius inveniri et perpendi queant:

- p. 3, incipit.* 7. 8. 13-17. 19. 21. 25. 26.
- p. 4, ls.* 2. 5. 6. 10-12. 14. 18. 22. 23. 26. 32.
- p. 5, 2-4.* 11. 14. 16. 17s. 20. 23. 24. 27. 28.
- p. 6, 1.* 3. 4. 10s. 14. 25. 26. 29. 30. 33.
- p. 7, 2.* 6. 7. 11. 12. 15. 22. 23. 27. 28. 32. 34. 35. 37.
- p. 8, 2-4.* 19. *explicit.*

p. 3. — 1 Ad Martyras] *Q.* Septimi Florentis Tertulliani liber ad Mart-yrias incipit infeliciter *A*. Item eiusdem *Q.* Septimi Florentis Tertulliani liber ad Martyrias incipit feliciter *B*. Item eiusdem Tertulliani liber ad Mart-yrias [Martirias *C*] incipit feliciter *CD*. 3 uobis] nobis *C*. singuli] singula *ABCD*. 4 opibus] operibus *ABCD*. 7 quod] quid *C*. 8 infirmius] infir-mus *C*, infirmum *D*. 10 idiotae] idiote *BC*. superuacui] supervacue *BCD*, superuacue *A*. 13 uobiscum] add que *B*, nobiscum *C*, nobiscumque *D*. 14 carcerem] *praem* in *D*. introisset] introisset *B*. nec] ne *AD*, ut *B*. 15 ut] om *BCD*. 16 et] om *ABCD*. uos] nos *BC*. 17 diaboli] diabuli *CD*. 18 etiam] & iam *A* (quod et etiam et et iam legi potest). 19 conculaueratis] conculaueritis *D*. 20 odiis] edijs *A*. 21 defectionibus] de affectionibus *A*. Fugiat] *praem* et *BCD*. 25 est] om *BCD*, cum *A*. 26 quidam] quidem *BCD*. 29 praestare] prare *C*. 31 uestri] nostri *ABCD* (nri *AC*).

p. 4. — 1s quanto.. mundo] om. *D*. 2 consternet] consternat *C*. 5 praecordia] precordia *D*. 6 catenas] cathenas *ABCD*. induit] imbuit *ABCD*. 10 uos] nos *C* (*sed in linea praec. est v, seu vos inchoatum*) *D*. de carcere] bis scriptum *D*. 11 custodiarium] custodiarum *A*. translatos] tralatos *BCD*. 12 estis] est *B*. ipsi; habet] .Ipsi habent *ABCD* 14 expectatur] add de iudi-cibus *ABCD*. de iudicibus ipsis] inv ipsis de iudicibus *D*. 18 gaudia] gau-dio *A*. 19 maiora] a² corr *C*. 22 amittit] admittit *ABCD*. et quae] & que *A°*, postea & partim deletum videtur ad formandum eque *A°*. 22s Immo... amittit] om *D*. 23 amittit] admittit *ABC*. agapen fratrum] age per fratrem *D* *B* (age per fratrem) *C* (age per fratrem) *A°* (age per fr[ater]m potius fratrum quam fratrem exigere videtur). 26 ipsa] om *B*. 30 et] om *B* (*codex legit* 30s: Jam à persequutione hoc praestat...). 31 praestat] prat *C*. eremus] heremus *A* (heremus) *BD*. 32 frequentius om *D*.

p. 5. — 2 nomen] *om B*, non *C(no) D*. 3 spiritui] spiritu AD. vagare] vacare AC. spiritu] spiritus ABCD. spatiare] spaciare C. 4 spiritu] spiritus ABCD. longas] longam BC. 5s quotiens.. totiens] quo ciens.. totiens D (*in exemplum variae scriptio nis allatum*). 7 animus^{1]}] manus ABCD. 8 uelit transfert] post t verbi uelit sequitur rasura in qua scriptum est tran verbi sequentis A. 9 thesaurus] thezaurus A. nostrum] B¹ ex B^o uestrum (B¹ et B^o eadem manu), uestrum C (B^o). 10 thesaurum] thezaurum C. 11 Cristianis] christianus A (*sed prob. u in i emendavit A^o, cum super u punctulus flaves cens perspiciatur*), christianus B. 13 respondimus] respondemus ABCD. 14 cubiculo] cubilo D (*estne supplendum cubi<cu>lo an corrigendum cubili?*). 16 labore] labor est ABCD. incommodis] in commodis D. 17s aliter iungunt codi. v.g. D, quocum fere convenient ceteri: Pati iam ediscunt in armis. deambulando campum. decurrendo fossam. moliendo testudinem. desiccando desudando... 18 moliendo] molliendo A. densando] desicando desudando ABCD. 20 sole] e corr. C^c, ille D. gelum] caelum BC (celum) A (celum) D^c (cel in rasura). 21 benedicti] benedictae B C (benedicte) D (benedicte). 22 uirtutum] uirtutem ABCD (*insuper CD cum sequenti iungunt*). 23 deputate] deputate B. subituri] subiturae B ACD (subiture ACD). agonethes] agonithetis ABCD 24 xystarches] xystarces BCD, sistarc es A. 25 brabium] brauim ABCD. politia] policia A. 27 uos] nos CD. unxit] iunxit C, uinxit BD. scamma] scampna BCD. produxit] perduxit B (perduxit) CD. 28 ante] autem A. tractationem] B^e ex retractionem B^o (*punctis re suppositis*).

p. 6. — 1 strictorem] districtiorem A. 3 laetioribus] lectoribus BC. 4 in] om D. 6 Nos... consecuturi] cum praecedentibus iungit A. consecuturi] consequuti CD. 7 interpretamur] interpretemur A. 10s Scimus... promptus] om B. 11 nobis] uobis ABD. 14 seruat] seruit A. spiritui] spiritum A. 15 ipsa] ipsam ABCD. 16 de²] om ABCD. 17 de] om ACD. forsitan] forsitan D. 19 summam] sumam A (*signum reduplicationis omis ssum*). 20s acerba licet] acerba. Licet ABC. 25 est] add et BCD. 26 passa] add est ABC. adegit] agebit ABC, agebat D. 27 Mucius] Mutius B. dexteram suam] manum suam dexteram A, m. s. dextram BCD. 28 Nec] om ABCD. 29 philosophi] filij Sophi A. bubulo] bubalo ABCD. 30 excussit] exussit BD. Empedocles] est pedocles BCD, pedocles A^o, *inter lineas praem em* (= empedocles) A^o. in] om BCD. Aetnae] etnei B, ethei A. 31 desiliuit] dissiliuit ABCD. immisit] emisit ABCD. 32 Dido ne] Didon cum ABCD. 33 Asdrubalis] ascrubalis A^o, dein d ex c (= asdrubalis) A^o (*idem videtur ac in l. 30*, asatrubalis C. 34 Carthagine] a² ex e C¹. ne] om ABCD.

p. 7. — 1 compensari] coponsari A^o, *dein c² corr in e A^e* (cf. p. 6, 33). 2 noluisset] uoluisset A^oBCD, ualuisset A^e, (a ex o). 4s aspides...] horridiores] horridiores aspides serpentes tauro uel ursu ABCD. 6 tantus] tanti BCD, tantis A^e (ex tantiss A^o). 7 quantus] A^o (*punctum est suppositum i, u inter lineas scriptum*), quanti BCD, quantis A^o. est²] om ABCD. Itaque] Ita quod A. 10 conestam] commestam AB. 11 in se sciret] se sciret in AC, om in B, om se D. perseuerarent] perseueraret ABD. 11s Nam quod] Namque B CD (nanque CD). 12 Lacedaemonas] lacedemonias D. 13 διαμαστίγων] diastaticosis ABCD. id est] idem AC. 14 quiquel] praecl delecta abbreviatio pro quoque D. adolescentes] adulescentes D. 15 adhortantibus] adhortationibus B. 16 deputatur] deputabitur ABCD. 18 animae] animi ABD. 21 passio-

nes] *scriptum panes cum parculo o super a (o A^c ?). consecutionem]* consequitionem D. 22 Si] om ABCD. margaritum] margaritarium D. 23 habet] habeat ABC. 27 quidam] quidem D. animi] om D. quot] quod ABCD. otiosos] otiosa BCD (ociosa). 28 gladium] gla corr in rasura C. Certe] e^l ex a B^c. affectatione] affectione ABD. 32 taureas] caueas BCD. 34 nos] uos ABCD. exhortandos] h corr ex o B¹. illo] illa D. die] add ad ABCD. 35 reformidauerimus] reformauerimus BCD, reformaueris A. pati pro ueritate] inv pro v. pati A. 37 Sed] Si ABCD.

p. 8. — 2 consueuerunt] consuerunt ACD. 3 ferae] uere D. 4 caueis] caneis C, canes D (*super n sunt tria puncta*). 9 inopinatos] inopinantes D. 11 eum] cum BC. — Explicit liber ad Martyrias faeliciter D C (... martirias fe.), Liber .Q. Septimi Florentis Tertulliani ad Martyrias explicit feliciter A.

FR. GRATIANUS A S. TERESIA, O.C.D.